



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum V. Eum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## SUMMARIUM.


*Casus, in quibus fidejussor agere potest contra principalem debitorem, antequam solvat, ut ab obligatione liberetur.*

Notandum. Ordinariè loquendo fidejussor agere non potest adversus debitorem, pro quo fidejussit, priusquam aliquid solverit pro eo *L. si pro ea 10. ff. mandati*. Excipiuntur autem casus primus. Si debitor diu cessavit, seu in culpabili mora solvendi diu fuit *L. nuntius 38. ff. mandati*, ubi etiam significatur, id iudicis arbitrio aestimandum esse, num diu in obligatione, non sine suo aliquo periculo, fidejussor stetit censendus sit, sicut tradit *Glossa ibidem v. ac tempore*, & *Gl. finalis hic* & videri potest *Imola hic n. 1.*

Secundus casus, si debitor principalis bona dissipare incipiat, ita ut fidejussor in periculo versetur, agere potest coram iudice, ut liberetur *cit. L. Lucius & cit. L. si pro ea*, ubi *Glossa communiter recepta v. cepisse* admonet, secus dicendum esse, si jam tempore fidejussionis debitor inceperat dilapidare, quia fidejussor hoc periculum sponte in se suscepisse censetur.

Tertius casus, si fidejussor ad solvendum à iudice condemnatus fuit, hoc casu statim agere potest adversus principalem, ut ipse indemnus servetur. Ita habetur *hic, & in cit. L. L. Idemque* sentiendum esse, si facta conclusione in causa appareat, fidejussorem condemnandum esse, cum tunc quasi condemnatus censetur, tradit *Barbosa hic n. 9. Menochius in arbitrarijs casu § 1. n. 28.*

Quartus casus habetur *in cit. L. Lucius & cit. L. si pro ea*, si ab initio ita conventum sit, ut v. g. elapso aliquo tempore, vel eveniente aliqua conditione fidejussor liberaretur. Alias exceptiones affert *Barbosa hic n. 14.*



Oo 3 TITU-

quemadmodum & ex justa causa donationes facere potest, si id fiat sine præjudicio Ecclesiæ suæ; idque notavit *Gl. in c. te quidem 29. v. ne fidejussor causa 11. q. 1.* Tamen verò in canonibus significatur, Episcopum, omnemque Clericum fidejussionibus intervenire non debere, id tamen explicari potest, ne fiat cum Ecclesiæ detrimento, aut quòd id non debeat, si fiat sine causa, aut frequenter, maxime erga Laicos.

Notandum secundum. Si Religiosus, absque licentia ad hoc requisita, pecunias mutuas accipiat, monasterium non obligatur, nisi ex pecunia quidpiam in rem, seu utilitatem monasterij conversum fuisse ostendatur. Ita *hic*, & sumitur *ex L. civitas 27. ff. si certum petatur*. Inde autem per sensum contrarium inferitur, si Religiosus cum requisita licentia, videlicet Prælati & Conventus, vel etiam solius Prælati, quando is solus talem licentiam dare potest, multo magis, si Prælati, & Capitulum, vel solus Prælati in casibus, quibus ob liberam ipsi concessam administrationem acceptio mutui concessa est, pecunias mutuò accepit, tunc mutuator ostendere non cogitur, pecunias in utilitatem Ecclesiæ versas fuisse, prout *hic* tradit *Abb. n. 4. Antonius Genuensis in prædicationibus Ecclesiasticis q. 139. Molin. tra. 2. disp. 300. n. 2. & explicat lib. 3. tra. 4. c. 15. n. 7.* interim tamen si Ecclesiæ læsionem ostendat, tribuitur eibeneficium restitutionis in integrum.

## CAPITULUM V.

Eum.

## PARAPHRASIS.

Sunt aliqui casus, in quibus fidejussor, antequam solvat, agere potest adversus debitorem principalem, ut ipsum obligatione liberet. Primus. Si debitor solvere debitum diu neglexit, seu in mora solvendi culpabili diu fuit. Secundus. Si bona sua dissipare incipiat. Tertius. Si fidejussor ad solvendum pro principali à iudice condemnatus fuerit.